

## DIVO THEOTONIO COENOBII

Sanctæ Crucis Fundatori: ex Augu-  
stiniana familia.

**Q**ui genus Herorum terris ostendis; & orbi:  
 Quæ solūm audierant secula, videre facis.  
 Sunt qui Massylos membris pauere leones;  
 Sunt qui montanis membra dedere feris;  
 Sunt quorum ardentes pietas spectatur ad ignes;  
 Aut rapit in superas vita beata plagas.  
 Tu potes immanes Erebi frenare leones,  
 Vertereq; in Stygios monstra inimica lacus.  
 Tu potes ingentes nutu traducere montes:  
 Reddereq; è tumulis corpora viua suis.  
 Tu potes Oceani tumidos compescere fluctus,  
 Et reuocare oculis vasta elementa tuis.  
 Quantum summa potest Patris omnipotentia; per te  
 Tantum, Diue, potest rara patrare fides.

DE EODEM. §  
 Et Hierosolymitanà peregrinatione.

**A**gnis purpureo petimus iuga tintæ cruore,  
 Et loca, quæ sacram sustinuere crucem.  
 Equora tranamus squalentibus horrida monstros,  
 Dira ubi tempestas, dira ubi sauit hyems.  
 Imminet immanis ferrum crudele latronis:

Immis.

*Imminet in medijs visq<sub>z</sub>, metusq<sub>z</sub> vijs.  
 Ad sacram iuuat ire crucem, Solymæq<sub>z</sub> penates,  
 Nec latro me terret, nec violenta manus.  
 Non me tempestas, non me via terret euntē;  
 Est per difficiles crux adeunda cruces.*

**DE DIVO THEOTONIO,**  
 & cœnobio S.Crucis.

(rum:  
**D**um sacra tecta locas, fuluū Rex porrigit au-  
 Addis diuitias nec minus ipse tuas.  
 Ante triumphali (ratibus dum carula transas)  
 Præbuit hospitium corq<sub>z</sub>, animusq<sub>z</sub> cruci;  
 At nunc post longos terræq<sub>z</sub>, marisq<sub>z</sub> labores,  
 Templa cruci ponis: nobile surgit opus.  
 Non potuit melius pietas impendere gazas;  
 Reddita post cordis munera, fundit opes.

¶ De Brachio D.Theotonij ciuibus  
 Visensibus missō.

**P**Astor eram quondam populis Visensibus: ardet  
 Ossibus in nostris, qui fuit ante calor.  
 Detractum flammæ nihil est: sed tempore creuit,  
 Efficit & largæ crescere dona manus.  
 Brachia perpetior de corpore vulsa referri,  
 Partiar ut natis corpora secta nœis.

Bra-

*Brachia cum mitto complexibus apta ferendis,  
Complexus natis tunc ego mitto meis.*

*D E E O D E M.*

**C**orpore nostra licet gelida tumulentur in urna:  
*Non meus in gelido marmore friget amor.*  
Spirat, & ardentem miro iacit igne fauillas:  
*Quosque prius natos dulcis amavit, amat.*  
Ad natos renocat, dilecta pignora patrem:  
*Nec procul à natis me sinit esse meis.*  
Dividitur in partes; pars altera restat in urna:  
*Altera pars populis it peregrina suis.*  
Pars minor abscedit: remanet pars maxima: maior  
*Quae venit ex tumulo portio amoris erit.*

*URBS VISENSIS.*

De reliquijs D.Theotonij.

**D**icite felicem me secula, dicite gentes,  
*Cum beet exuuijs me Patris urna suis.*  
Blandius indulget cœlum mihi dives; ab astris  
*Et per reliquias aurea vena fluit.*  
Nunquam pauper ero, quam copia dives opimat,  
*Et cui thesaurus tam propè dives adest.*  
Nec perferre sitim potero, cui nectare dulci  
*Flumina dat patrius tam pretiosa cinis.*  
Quantum promitto mihi! quam leta triumpho!  
*Quas mihi per cineres fundet Olympus opes!*

*Quam*


Quam propè reliquia mihi sunt, & brachia Dñi,  
Tam propè munifici dextra Tonantis adest.

DE TVMVLO REGIS RODERICI,  
& reliquijs D. Theotonij.

**A**MISI imperium, & regni florentis honores,  
Et de me titulos perfidus Afer habet.  
Omnia restitui reproto mihi: redditus aris  
Tam propè, Dñe, tuis cum mihi puluis adest.  
De eodem.

**H**ESPERIA postquam vidi labente ruinas,  
Vita mihi moesti funeris instar erat.  
Theutonio viuo, qui vinere posse sepulto  
Concessit, meritas cui quoque reddo vices.  
Manibus ut pietas, quæ dat sacra vinere, possit  
Constantem in tumulis sic reperire fidem.  
De eodem.

**S**ENTIO delicias: luctus cessare necesse est:  
Theutonij veniunt dulcia dona mei.  
Demite de tumulo titulos mihi: demite honores:  
Ut titulo famulus nobiliore fruar.  
Atque hec in nostro scribantur carmina busto,  
Quæ prius extiterant displicuere nota.  
SERUITIO imperium mutat Rodericus: ab urmæ  
Theutonio famulus possit ut esse suo.



D. IGNATIO SOCIETATIS IESV  
Parenti sanctissimo.

¶ De excidio Pompeiopolitano.

Pompelonæ quatit dux Gallus mœnia: contum  
Agmina Gallorum miles Iberus adeſt.  
Fulminat horrendum, sumptis Ignatius armis:  
Illi⁹ exempl⁹ miles in armaruit.  
Æmula fulminibus tormëta immane vaporat:  
Sulphure fumantem nox tegit atra diem.  
Exemplò obſeffæ recidunt cum mœnibus arces:  
Et Loiola ingens, arce cadente, cadit.  
Tunc aliquis mirans vires, animumq; cadentis,  
Et quam sublimi corde resurgat, ait.  
Tam bene qui possit procumbere, vix erit ullus.  
Tam bene qui possit surgere, nullus erit.

DE EODEM.

Æqua solo Gallus fumantia mœnia ponit:  
Arce cadit: ipse heros, arce ruente, ruit:  
Ne Loiola dole, subita cecidisse ruina,  
Tam bene cui casus surgere posse dedit.

CONFESSORES. 417  
DE EODEM, ET DIVO  
Petro.

Q Vam tua chara salus Superis Loiola, supremus  
Vnde tibi medicus mittitur, unde salus!  
Non venit incassum stellanti ex aethere Pastor:  
Sed venit ut molli pollice sanet ouem.  
Desperare nefas, tanto Pastore, salutem:  
Qui de te sperat maxima, summa dabit.  
Non est difficilis medicus, nec tempora poscit  
Longa, leuis cuius vel fugat umbra luem.

AUGUSTISSIMÆ VIRGINIS;  
& Puer IESV conspectu recreatur  
Ignatius.

O Ra vides Nati bellissima, & ora Parentis;  
Alterum in alterius cernis adesse genis.  
Ne maiora velis spectacula cernere, cœlum.  
Nil tibi par ingens, nil tibi terra dabit.  
Te Puer in Matris diuinum accedit amorem:  
In Pueri sacras Mater amica faces.  
Amorumq; inter diuina incendia vinis:  
Tabula sunt mentis flamma, rogesq; tuae.  
Nil mirum est oculi renuant si catera; quando  
Explerunt visus Virgo, Puerq; tuos.

418 DE CHRISTO TRIVMP. LIB. XI.  
*VIRGINIS CONSPPECTV CASTITATIS*  
dono insignitur Ignatius.

**V**irginis ora vides, Infantis & ora: pudori  
Virgineos cætus vincit uterque suo.  
Nec mora, cana tui vernant in lilia mores:  
Visaq; non tactas vincere corda niues.  
Scilicet, inspectus Puer est, & Mater; uterque  
Transcripsit mores in tua corda suos.

IN VERBERA D. IGNATII.

**V**idit ut impressos lacerato in corpore sulcos  
Numen, & undantis flumina cædis, aiti  
Vim facit iste cruor regnis cœlestibus: infert  
Quæ sibi vim loris, vim mibi dextra facit.  
Quem vis nulla unquam, quæ nulla potētia flexit,  
Vincor: & ut vincar sanguinis vnda facit.  
Sanguine quod merui, reddo pro sanguine Nomē:  
Et de me victo, nomina victor habet.

INTER ORANDVM IGNATIVS  
sublimis tollitur.

**O**Rat, & ignescit diuino Ignatius igne:  
Pectoris crumpunt sacra per ora faces.  
Raptaque mens superas raptat graue corpus in  
auras:

*Alitis*

*Alitis in morem corpus in alta volat.  
 Siue animi leuitas tollit de puluere corpus,  
 Ut quod sua mole sit sine mole facit;  
 Seu trahit imperij mens ardua corpus in altum;  
 Cogit & imperij iura subire sui:  
 Numinis abripuit seu sacra potentia, multum  
 Quaelibet ex istis causa decoris habet.  
 Quod si cause omnes cumulum cogantur in unu.  
 Corpora, deposito pondere, tollit amor.*

### IN OCTO DIERVM ecclastim.

**B** Landa quiescentis Loiolae apparet imagos  
 Sed multum requies ista laboris habet.  
 Quid peragat, dicent venientia secula: dicet  
 Aurifer extremo qui sonat orbe Tagus.  
 Argenti, atque auri dicet ditissimus erbis,  
 Quem grauis occidao summonet vnda salo.  
 Ultima terrarum dicet Iaponia: Ganges  
 Dicet, & Oceani carula regna patris.  
 Cede triumphali rubefacta Britannia dicet:  
 Rhenus, & equoreis Belga propinquus aquis.  
 Facta ubi conspicient, quae nunc Loiola volutat,  
 Publica communi vox erit ista sono.  
 Non fuit utilior miseriis mortalibus unquam  
 Absque quiete quies: absque labore labor.

**D E B A C V L O I G N A T I I ,**  
**& dæmone per contemptum fugato.**

**O**rcē quid in cœlū monſtroſā fronte minaris!  
 Möſtriferis vertis torua quid ora modis?  
Quid draco ſangnineis attollis tempora criftis?  
Quid leo nunc Libycus, nunc feruſ uſſus aderit?  
 Omnia, crede mibi, baculo feriente resident;  
Ficta velut fragili teſtea vafa luto.  
 Tam facile effringit baculo quē dextra minaci,  
Teluteum vastā mole Giganta putto.

**D E I G N A T I O I N G E L I D A P A L V D E ,**  
 & perditō adolescentē in amore pereunte.

**V**ifa lacus facies crepitātē tumescere fluctu:  
 Visa viri liquido forma natare gelu.  
 It picturato iuuenis ſpectandus amiclu:  
Quām petit hic, celerem tam fugit ille necem.  
 Hæc facies rerum; diſcrimina magna duorum;  
Qui riget amne, calet; qui calet igne, riget.  
 Qui natat, hybernis incendia ſentit in vndis;  
Qui flagrat, calido concipit igne niues.  
 Qui natat, iſtabili uſtigia firmat in vnda:  
Post ſua qui graditur gaudia, damna feret.  
 Naufragus in medijs erit hic non naufragus  
 vndis:

**N**aufragi-

**N**aufragium in portu naufragus ille facit.  
**B**is felix, portum mediæ qui repperit unda:  
**B**is miser, in portu qui perit, ille perit.

**C H R I S T O A P A T R E C O M-**  
**mendatur Ignatius.**

**D**Vm Loiola ingens Romana admœnia tèdit;  
 Ingreditur Latiae templa propinqua via.  
 Siderei patuere aditus, patuere precanti  
 Atria gemmatis inuidiosa seris.  
 Christus adest: multo rorabant sanguine crines:  
 Suspensa ex bumeris crux graue pondus erat.  
 Nec mora, sic placidi clementia blanda Parætis  
 Alloquitur natum dulciter ore suum.  
 Loiolam tibi Natae, tuum, tibi credo sodales,  
 Supplicij comites quos plaeet esse tui.  
 Accepit Natus vocem Patris, atque ita fatur;  
 Pone metus: Romæ iam tibi dexter ero.  
 Ne vereare crucem, ne leclum dulcis IESV:  
 Aspera molliuit brachia dulcis amor.  
 Pocula felle tibi cum dat rorantia, dicit;  
 Ebibe reliquias: pocula plena bibi.

**R E S P O N D E T C H R I S T O**  
**Ignatius.**

**D**Ulce onus imponis cupienti, dulcis IESV,  
 Participem poenæ dum facis esse tuæ.

*Te propter tormenta ingens perferre voluptas:  
Deliciae, pœnae sunt mibi, Christe, tuæ. (nas.  
Quas tua crux habuit, mea crux ferat aspera pœ.  
Quātum habuit probri mors tua, nostra ferat.  
Quot tua funesti lacerarunt membra dolores:  
Dilacerent pectus, dilanientq; meum.  
Est hic, est animus vitæ contemptor; Amori  
Cum nostro dederis plurima, plura volet.*

## DE EODEM.

(na:  
**V**Incula dura manus, neclunt tibi, colla catu.  
Flagris terga tumet: vepribus ora riget.  
Nō tibi forma hominis, sed pœna atrocis imago:  
In te sunt culpæ tristia signa meæ.  
Sustinet impositum ceruix mitissima pondus:  
Pressus ab immanni pondere, tangis humum.  
Me comitem in duras æquiū est adiugere pœnas:  
Nulla mora est: meritam stat mibi ferre crucem.  
Accipio, amplectorq; libens; tibi demo: mibi q;  
Impono: tantâ sorte beatus ero.  
Gloria prima, humeris ligni graue pödus acerbi.  
Detraxisse tuis, ferre secunda meis.  
Vtq; in me longos tua pœna perennet in annos:  
Sit mibi mors viuax, æmula vita necis.

Ad cundem, de eodem.

**F**luctibus Oceanus rorantia verberet astra;  
Portenta aereis montibus æqua ferat:  
Impia Tartarei coeant ad classica manes:  
Formidanda nigris vultibus ora fremant.  
Manibus accedant elementa armata; tremēdis  
Viribus ignis, aquæ, terra inimica, Noti,  
Carnifex diri celerent, sauiq; tyranni:  
Ultima pœnarum mors violenta ruat;  
Inter inassuetos dices Loiola labores,  
Inter sanguineæ damna cruenta necis.  
Crescite difficiles, & acerbæ crescite pœnæ:  
Dum comes in pœnas tam mibi dulcis eat.

### IN SOCIETATEM IESV.

**I**nclinare humilem cœruicem, apparet IESVS,  
Tartara: cœsarie verrite prona solum.  
Agmina sidereis, quæ carpitis otia regnis,  
Addebet inflexo procubuisse genu.  
Procidat Occasum procumbente rubescens  
Ortus, & attacta nomen adoret humo.  
Nomine, sume animos, gens insignita potenti:  
Certat triumphandi pignora nomen habet.  
Qui triplicè rapuit non uno ex hoste triumphū,  
Armatus solo nomine, nudus erat.

434 DE CHRISTO TRIVMP. LIB. XI

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

De Ignatio, & socijs.

C Ontra Asiam, contra Europā, Libyāq̄ potentem  
Bella moue, mundi pontificale caput.

E st noua bellandi facies, noua forma duelli;

A rma aberunt: aderunt bis tibi quinque tuba.

C uncta ruent sacris tremefacta sonoribus; olim

H ac forma Hebrei bella gerentis erat.

I nstrumenta dabunt heroes ahenea, cernis

Q uos, Pater, ante pedes: sed dabit athra sonos.

D icere tunc poteris recident ubi cuncta; Tonantis

H as sacer afflavit Spiritus ore tubas.

ROMA AD IGNATIVM,

& socios.

R egna licet validis dicar domuisse lacertis,

A equaq̄ sub geminis iura dedisse polis:

P er mare dum mittis longinqua in regna sodales,

C redesis imperijs consuluisse meis.

B ellona, & Manors discedite; castra relinquo;

P lus mihi Loiola pax opulenta dabit.

AD IGNATIVM

De Societate longè, latèque diffusa.

P inguibus appetet fœcundus messibus orbis,

D ulce sodalitum dum bene ponit opus.

Africa

*Africa fœcunda est, & messibus induit ortus:*

*India fœcundo flauet opima solo.*

*Aspicit extremo messes Neptunus in orbe,*

*Subrubet occiduis Cynthius unde rotis.*

*Gallia fœcunda est: Germania messibus undat:*

*Respondet votis messis opima suis.*

*Quæ bene fœcundis lacrymis Loiola rigasti,*

*Vt puto, de lacrymis sunt sata læta tuis.*

¶ De malo Dœmone, ab Ignatio humanis corporibus s̄xp̄ expulso.

**D**is ait; *Humani poffessor pectoris olim,*

*Hofpitium cogor deferuisse meum.*

*Plectere mortales inter tormenta, rogoſq;*

*Tartareos, inter funera, lusus erat.*

*Nunc iubet antiquo Loiola excedere regno:*

*Pellit Auernales frons inimicagreges.*

*Qui malè terruerat, trepidus formidat Auernus,*

*Et patitur trepidos, quos tulit ante metus.*

*Conditur in Stygias gens formidata tenebras,*

*More leuis capræ, more timentis avis.*

*Gräde superciliū, quod talia monſtra tremiscunt!*

*In nigra ſiveniat Tartara, pulsus ero.*

¶<sup>26</sup> DE CHRISTO TRIVMP.LIB.XI.

DE PVERO EX ARGENTO

Ad Ignatij sepulchrum ficto.

**M**E Mors effera penè funerarat:  
Heu mors nescia pectoris benigni!  
Dum letho videor propinquus atro,  
Ut flos languidus in coquente bruma,  
Qui perdit moriens rubros colores,  
Matri pectora lancingant dolores,  
Vndant lumina lacrymis profusis,  
Largè fluminis instar affluentiss.  
Funesta est facies domus gementis.  
Ignati, tibi voce supplicanti  
Commendat genitrix, parensq; natum.  
Nec non & sacra vota nuncupantur.  
Exaudis citò vota supplicantum,  
Indulges mibi protinus salutem,  
Iucundam mibi penè funerato,  
Iucundam magis optimo parenti.  
Versi in gaudia sunt repente luctus,  
Versi in gaudia protinus dolores:  
Cessant flumina larga lacrymarum,  
Exultat genitrix, pater, domusq;  
Soluuntur tibi vota promerenti,  
Ignati; Puer instar administrì  
Argento tibi fictus eleganter  
Gesto lampada, feruidos & ignes:

# CONFESSORES.

427

Vtrem posteritas futura noscat,  
Argentum didicit nouos canores  
Loiolam quibus insonet parentem.

## DE EODEM.

**G**lorior officio, tibi dum Loiola ministro,  
Et placet ardentes ante tenere faces.  
Omnia posthabeo : munusq; id credo supremum,  
Quod merui vultus ante manere tuos.  
Res noua ; cunclarum subiere obliuia rerum,  
Oblitusq; etiam sum puer ipse mei.  
Non mihi sunt cordi rorantia pocula : dulcis  
Nec cibus, aut mollis qui rigat ossa sopor.  
Vna mihi supereft spectandi immensa cupido;  
Sic rapuit sensus dulcis imago meos.

## DE EODEM.

**N**on sum mutus ego, quanuis argenteus infas:  
Qui mihi dat vitā, dat mihi posse loqui.  
Tot mihi sunt linguae, quot sunt mihi membra;  
canora  
Additur argento voxq; sonusq; meo.  
Audior Hesperijs, atque audior unus Eois:  
Impleo bis geminos, & sine voce, polos.  
Te cano, dum videor, Loiola; Adstare voluptas;  
Hospitibus laudes sic ego pando tuas.

AD

## AD IGNATIVM.

De seruatis fœminarum partibus.

**N**ote per occasus Loiola, & note per ortus  
 (Natura insueto sic ait usus sono)

Fraudarer partu duplici male lata meorum,

Ni foret auxilij, visq; fauorq; tui.

Quod mihi sunt foetus : quod ago secura triumphos,

Quis neget hoc, Heros, munera esse tui?

Pignora dum seruas, dum dulcia corpora matrum,

Debentur meritis bina trophyæ tuis.

Utraque, dum seruas, referat si terra, polusq;;

Vix sibi seruatos terra, polusq; feret.

## AD EVNDEM.

De Lychno pensili argenteo à Lusitanâ  
prouincia dono dato.

**B**ello Lysia sic potens profata est  
 Charo lampada cum daret parenti;  
 Ignati, decus aetherisq; lumen,  
 Argentum tibialata sacro nostrum  
 Semper seruiat ut sacro sepulchro  
 Ardentiface splendidum, nitensq;;  
 Nereus dum pater affremet, citusq;  
 Monstris squamiferis recurret aquor:

Dum

Dum sol purpureo nitens ab ortu  
 Lustrabit mibi regna parta bello,  
 Et nostro sale finiens laborem  
 Soluet purpureas iugo quadrigas.  
 Argentum tibi quando dedicatur,  
 Rerum cætera dedicamus vltro.  
 Regnorum mibi quidquid est in orbe,  
 Gemmarum mibi quidquid enitescit,  
 Auri quod Libyæ ferunt cauernæ,  
 Fulci quidquid habet Tagus metalli.  
 Velle Lysia plura possidere,  
 Vltro quæ tibi læta dedicaret,  
 Credens hæc sua tunc magis futura,  
 Nullis subdita casibus, vel armis,  
 Vulcani neque flammeo furori,  
 Essent cum tibi rite dedicata.

## DE EODEM.

**E**micat ardentes per lampada plurimus ales:  
 Pars sedet: accensas pars tenet igne faces.  
 Prompta ministerijs pars est: pars altera cernit  
 Loiolæ exuñas, quas sacra condit humus.  
 Latus ab obsequijs, qui stat, sibi complacet ales:  
 Qui sedet, obsequij sperat habere locum.

IN PICTAM IGNATII &  
effigiem.

**F**ormidanda Erebo facies, dilecta Tonanti,  
Grata solo miro lumine, grata polo.

Territat immanem tua mira potentia mortem:

De terris morbos, toxica, monstra fugas.

Incassum queritur totum Pandora per orbem:  
Effusisse lucem, quam fugat oris honor.

Cum diversa leuent morbos medicamina: morbos  
Non sine prodigijs unica mille leuis.

Vnde potest tantum facies? Loiola precatus  
Transtulit in vultus Numinis ora suos.

DE EADEM EFFIGIE,  
& fugato Dæmone.

**D**um fugis, ô Pluton, socij fugere Typhœi,  
Et data sunt turpi pallida terga fugæ.

Unica Loiola, Pluton, te pellit imago:

Unica Loiola pellit imago tuos.

Dete, deq; tuis sacra ducit imago triumphos:  
Opudor! En victor pramia pictus habet.

BEATO FRANCISCO XAVERIO  
è Societate IESV.

**D**um tibi delicijs cœlestibus affluit aether,  
Delicijs, inquis, Rex bone, pone modum.

Dumque impendentes clades tibi pandit Olympus,  
Queque tibi tellus, quaeque minentur aque:  
Adijce tormentis tormenta immania, clamans:  
Adijce funeribus funera: damna malis.  
De ligno dum pendet Amor suspensus acerbo  
 Felle satur, pudor est dicere, malo fauos.  
Det Deus exiguos modici miki nectaris haustus:  
Quam volo, delicijs ditior haustus erit.  
Addat inauditas summa Omnipotentia pœnas:  
Pœna erit in pœnas semper auara meas.

AD EVNDEM. DE AETHIOPE  
 in somnijs humeris  
 sublato.


**V**Nius Aethiopis fessus sub mole laboras,  
 Languida nocturnus dum rigat ossa sopor.  
Miravides Heros: tantum te non grauat orbis;  
Ethiopis quantum tam grane signat onus.  
Alter Atlas Orientis eris Francisce; recumbet  
 Te super Eoa sarcina vasta plaga.  
Tolle humeris molem: moles te tollet in astra:  
Hoc magis attollet, quo magis illa granat.  
Si creet innumeros divina potentia mundos,  
Est tibi, qua cernix tollere possit onus.

**N**on tam dissimiles Protheus gerit ore figuræ,  
Quam variæ vita monstrat imago tua.  
Inter continuas lautus continua recumbis:  
Cumq; agro agrotas, cumq; dolente doles.  
Oceano nautæ nautam experiuntur in alto:  
Sæpè ruditis visus: sape futura canis.  
Tot tibi sunt linguae, quot adi noua regna per ortus:  
Tot tibi sunt mores, quot noua regna subis.  
Imperiosus agis funestam abscedere mortem:  
Et sequeris famulus terga fugacis equi.  
Non te tam varium facit inconstans: constans  
Te pietas varium, propositumq; facit.  
Omnibus aquaris: tibi nemo; tu potes unus  
Omnibus assimilis vivere, nemo tibi.

---

Finis libri vndecimi.





LIBER DVODECIMVS.

# DE CHRISTO TRIUMPHATORE.

*IN VNDECIM MILLE  
VIRGINES.*

Martyrij palmas, virginitatis coronis addidisse,  
pulchrum esse; Inermes Virginum acies fer-  
ro, ac viribus aggredi, turpe; cruciatibus, tor-  
mentisq; afficere, belluinum.

*ODA.*

**G**Emmat a circum prata Coloniae,  
Rheniq; ripas gramine fertiles,  
Contra repugnantem pudorem  
Tartareæ coière classes.

Duro libido fulminat impotens,  
Sæuitq; ferro blanda per agmina;  
Examen illustre, & pudicum  
Virginea nece tingit enses.

Incensa palme Virgo cupidine,  
Eburna tendit colla satellitis;

*Ee*

*Satell.*

Satelles immanis decorum  
 Frangit ebur, violatq; ferro.  
 Miscetur alba cum niue purpura,  
 Colorat ostrom virgineas niues:  
 Colorq; confusus Tonanti  
 Gravior est, superumq; turmis.  
 Atlantis alti per iuga deuia,  
 Quales leones molle trahunt pecus  
 In frusta: crudelesq; tygres  
 In timidas rapiuntur agnas,  
 Talis satelles durus obambulat  
 Examen inter nobile Virginum:  
 Obtruncat, abrumpit, refringit,  
 Ense fero iugulat, trucidat.  
 Tellure durâ corpora palpitant,  
 Spirante cæsis mente sub artubus:  
 Immane! plagarum latebrae  
 Pectore in ingenuo patescunt.  
 Natant fluenti sanguine pascua:  
 Sub cæde campi virginea latent:  
 Impulsa stagnanti cruento  
 Flumina in Oceanum feruntur.  
 Hunni feroce, terribiles feræ,  
 Vrsi, leones, effera tygridis  
 Portenta, lethales dracones,  
 Virginibus teneris Cerasiæ,  
 Quæ tam nefastis gens fera moribus

## VIRGINES.

435

Ferrum coruscat fæmineum in genus?  
 Quæ mactat, occidit, trucidat,  
 Quæ perimit teneras puellas  
 Inter leones fæmina noxios  
 Secura cædis læta perambulat:  
 Secura scruposis sub antris  
 Tigridis Armeniae quiescit.  
 Quæ sacra seruant fædera belluæ,  
 Quæ iura, soli rumpitis impij:  
 Vos non coercent, belluinos  
 Vincula quæ cobibent furores.  
 Oli fuerunt saxeæ pectora  
 In mente, durus vel silicum rigor,  
 Quem non Puellarum repressit  
 Ingenuo pietas pudore.

## DIVA VR S V L A.

Ad socias: ut pactam Sponso fidem, sanguine  
 stabilitam seruent.  
 O D A.

**S**Vmpta cruenti Regis imagine  
 Pendentis alta de cruce, cui manus  
 Clavi terebrarunt, cruoris  
 Imbre madet latus, imbre plantæ:  
 Sic fata verbis dicitur Ursula  
 Cætus nivales, & comites necis,

*Examen insigne, & decorum  
Virginei titulo pudoris.*

*Pendere Sponsum de trabe cernitis;  
Sponsæ, fluenti sanguine roscidum.*

*In quo, quot artus sunt, tot vndant  
Flumina purpurei cruoris.*

*Sanguis profusus largius exigit*

*Profusa largi flumina sanguinis;*

*Rorante sposo, quæ cruorem  
Sponsa negat, niue plus rigescit.*

*Tam rara cogunt fundere sanguinem*

*Exempla sponsi; Fundite Virgines;*

*Pro dote vult sponsus cruorem:*

*Odit opes, graue spernit aurum.*

*Viso cruentæ sanguine belluæ,*

*Hostem laceffunt in fera prælia;*

*Audacter incurruunt in enses,*

*Inq; faces, rabiemq; mortis.*

*Audere, Sponsi nos cruor incitat,*

*Audere contra regna tyrannidis;*

*Calcanda proclamat minacis*

*Imposito pede colla mortis.*

*Fidum beatis pectus amoribus*

*Natura finxit molle: sed artifex*

*Amor recoxit, fulminantes*

*Ne pauidum feriant sagittæ.*

*Non apta pugnis agmina Martijs*

*Inter parentum mollia brachia*

*Dicuntur Infantes nefandum*

*Carnificum subiisse ferrum.*

*Fudere cæsi flumina lactea,*

*Pro gloriosi flumine sanguinis:*

*Res mira! de cunis tenelli*

*Sanguineas rapuere palmas.*

*Euincit hostem si puer impium*

*Suspensus vdo matris ab ubere,*

*Ætate florentes caterua*

*Quid facient, valideq; dextræ*

*In bella sacri Martis Amazones,*

*In bella robur promite masculum;*

*Audete pugnando: superbas*

*Ætheræ rapite arte palmas.*

*Cogantur ipsis cedere fœminis*

*Dextre virorum; non sine gloria*

*Mollis puellarum duello*

*Dextera debilitat tyrannos.*

*Ad bella telis non opus æneis,*

*Sauis nec armis: non opus ægide,*

*Quæ cogat hostiles cateruas*

*Gorgoneo dare terga monstro.*

*Fides inermi pectore militat,*

*Interq; pugnas tegmina projicit;*

*Nudatus expugnat Redemptor*

*De cruce tartareos dracones.*

*Nudata pendent brachia, cernite,*  
*Nudata Sponsi pectora: tegmina,*  
*Certante raptore rapiná,*  
*De teneris rapuere membris.*  
*Oppone ferrum, nil moror; impigra*  
*Prodite, mortem vincite Virgines:*  
*Audete pro Sponso, necemq;*  
*Degeneres fugiant columbae.*

¶ AD D. URSULAM.

**D**ulce polo munus, sacra Ursula, dulce Tonanti  
 Reddis: & exuperas munera summatis.  
 Integra Virginitas dat corpora rupta sagittis:  
 Grata pudicitia munere, grata nece.  
 Munus ut angustum niucus pudor occulit; ignes  
 Sic nece disrupto pectore, prodit amor.  
 Obnubata magis, magis est adaperta Tonanti  
 Virginitas: cordis prodita flamma placet.  
 Sponso immortali corda immortalia reddis,  
 Agminis ingenni millia multa tui.  
 Olli expiranti membra expirantia mattas:  
 Officijs gratum munus utrumque tuis.

¶ AD URSULAM. ¶

**M**artia barbaricas vicere quid agmina turmis  
 Hoc ducis exemplum nobile fortis agit.

Ursula, qualis eras, quantum virtutis habebas?

Quae poteras socias sic animare tuas?

Vrsula tot palmas referes, tot sola triumphos,

Quot socia palmas promeruere tua.

### AD VΝDECIM MILLIA.

¶ De Ursa, & Christo crucifixo.

I Te anima ingentes, quā magna in bella Virago

Ursula sollicitat: quā trahit Agnus oves.

Agnus adest ouibus: nec ouis discedit ab Agno:

Miscet blanditias ille, vel illa suas.

Ludit ouans Agnus cana inter lilia; lacte

Candida plus nino, cum duce, ludit ouis.

Qui tam blandus adest, ferro crudele parauit

Supplicium, tenero dura per arma gregi.

Quo plus blandus amor iubet asperiora: ferenti

Quo plus durus amor, plus tener ipse venit.

Dura remolescunt Agni nece: dura dedisset

Qui nisi Virginibus funera, durus erat.

### AD D. SENTIAM.

Vnam ex præcipuis.

Sentia, quid sentis de Sponsi Regis amore,

Pro quo tam duram fers ingulata necem?

440 DE CHRISTO TRIVMP.LIB.XII;

*Qui me tam suo morituram destinat ensi,  
Non amat ille minus : deperit imo magis.  
Qui geminat pulchras facili sub morte coronas,  
Non minor est, geminata sed face mirus amor :  
Vnam carnificis properat mibi dextera ; ferre  
Sentia sed plures sentio posse neces.*

♦ AD GREGORIAM. ♦  
Vnam ex præcipuis.

*Xcubias agis eternas, ne pramia perdas,  
Nomen ab excubijs quæ bene Virgo , geris.  
Amisisse ne quis cœlestes mortua palmas,  
Dum tibi tam vigili mors in amore venit.  
Nemō est nobilius quite, Virgo, excubet ; ecqua  
Mortua ab excubijs pramia tanta tulit?  
Dum vigilas, pulchramq; petis, per vulnera mortem,  
Certa est excubijs vita repertatuis.*

♦ AD BRICOLAM. ♦  
Vnam ex præcipuis.

*B rictola, virgineas inter clarissima turmas,  
B rictola virginei lausq; , decusq; chorii:  
Quid tibi cum ferro ? quid cum mucrone cruento?  
Quid tibi cum rosea , candida Virgo , nece?  
Fronte serenata spectantja corda serenas,*

Dum radiat castus pura per ora decor.  
 Quam bene per niueum, feriente satellite, collum  
 Fluxit in augustos purpura larga sinus!  
 Tum, velut in speculo, spectasti in sanguine vultus,  
 Quale decus frontis, quis foret oris honor.  
 Mors licet obscuræ ferrugine pingeret ora,  
 Et super ingenuas staret opaca genas,  
 Nunquam visa tibi magis es formosa: nec illi  
 Pro quo deformis, plenaq; cedis eras.

\* IN GRATIAM. \*

Vnam ex præcipuis.

**N**on ingrata mihi mors est: ut grata sit Agno,  
 Gratior in pœnas fit mihi vita meas.  
 Grata quod est Sponso, grata est mihi: gratiore esset,  
 Si mors pro Sponso multiplicata foret.  
 Mors est grata magis, quo plus ingrata videtur:  
 Gratior est Sponsus, qui mihi morte venit.  
 Si petis, à Sponso qua sit mihi gratia? summa est  
 Gratia, pro Sponso posse perire meo.

\* AD SATURNIAM. \*

Vnam ex præcipuis.

**M**agna olim fueris, Saturnia: maxima nunc es,  
 Quæ de Saturni nomine nomen habes.

Extite-

**42 DE CHRISTO TRIVMP.LIB.XII.**

Extiterint Latias felicia regna per urbes,  
Cum fera Saturnus depulit arma manus,  
Inuidisse tibi poterit certamina : telis  
Dulcia cui medijs tempora pacis erunt.  
Fecerit ille euro felicia secula ; duro  
Aurea de ferro secula, Virgo, facis.

**\* AD SAVLAM. \***  
Vnam ex præcipuis.

**S**Aula geris Sanlum, vel nomine digna, vel ausa,  
Fæmineos superas dum generosa choros.  
Vel tibi de Saulo sunt nomina : vel tua Saulus  
Dum videt, in nomen cœpit abire tuum.  
Proxima sunt Saulo tibi pectora: proxima Saula  
Pectora, crediderit Saulus inesse sibi.  
Grandia habes Sauli miracula : dum tua cernit  
Saulus, virginas optat habere manus.  
Aut Saulo, aut Saula nomen debetur: ab illo  
Depromit robur vis animosa suum.  
I, sequere ingentes animos ferro obuia : digna  
Ut videare animis occubuisse iuus.

**SE DE D. URSVLA, ET SOC1IS. 43**

**C**Arnificis saui turpis furor arma capessit,  
Et ferit imbellles barbarus ensis onces;

Queli-

Qualibet effundit pro virginitate cruorem:

Qualibet infanda dat pia colla neci.

Vita perit, teneri pereant ne iura pudoris:

Vita minus, nixa virginitate, placet.

Certatim ad mortem, positâ formidine, turma

Accelerant: certant, quæ prior ibit ouans.

Quis docet ad mortem teneras properare columbas?

Vrsula virgineos erudit una choros.

Non opus est verbis, moriens ait Vrsula; dulci

Proqu magisterio, sit data vita, meo.

### IN UNDECIM MILLIA

Virginum,

**A**vidaces aquilas timida vicere columbas;

Exuperat sauos mollior Agna lupos.

Quam noua vincendi forma est! noua gloria pugna!

Mira triumphandi gratia: mirus honos!

Agna triumphauit saua e feritate luporum;

De qu aquilis titulos blanda columba tulit.

### et IN UNDECIM MILLIA.

**A**gmina virgineas manibus gestantia palmas,

Claratriumphales agmina passa neces:

Inlyta post dulcis vestigia tenditis Agni,

Adsacra Elysys pascua lata ingis.

*Hoc duce, puniceos in ferta comantia flores  
Carpitis: & nineis additis illa comis.*

## DE CORDVLA SANCTISSIMA.

**Q**uid innat in cacas properantiis ire latebras,  
*Cordula?* Mens ingens non bene clausa latet.  
Degeneres seruet turpis fuga; Martia virtus  
Tendit in obstantes, non superanda, faces.  
Quam metus horrenda tibi reddit imagine mortem.  
Difficilem: facilem mens animosa dabit.  
Mors fera persequitur fugientem; occurre, fugabis;  
Ter, semel effugies mortua, mille neces.  
Quam fugis, hæc vita est; sequeris quod, flebile lethum.  
Dulcius ut viuas, mors subeunda tibi est.

## DE EADEM.

**D**um fuga degenerem leuis arguit, intonat ore  
*Cordula magnanimo, quam sacer ignis agit;*  
Que male seruauit, discindite membra secures;  
Perdite sanguinea colla proterua manus.  
Non bene, tot casis; superabo vina, puellis:  
Turpiter, heu! casis millibus, una fugit.  
Ursula cæsa iacet, comites perierte pudicæ;  
Una, tot extinctis, viua superstes ero?  
Si tibi displicui fugiendo, Christe, petitum

*Supplicium, fædæ sit mihi pœna fugæ. (no:  
Mortuus in ligno es: moriar quoq; proximalig-  
Vt videar thalamis digna fuisse tuis.  
Sub cruce cōtumuler; tumulū nota signet; Adēpto  
Noluit hæc sponso quòd superesse, iacet.*

## DE EADEM.

**P**oster alux terris primū ostendebat Eoum;  
Nobilis hæc secum Cordula tristis ait;  
Degeneres animos timor arguit: heu mibi ! tales  
Hesternā fateor luce fuisse meos.  
Sola triumphali priuabere, Virgo, coronā?  
Et sociæ palmas tot rapuère tuæ?  
Tam leuis est Sponsi tibi gloria? tamq; pudoris?  
Pro sacrâ vt fugias Virginitate necem?  
Addite de vestro mihi robore robur amicæ:  
Quas sibi Virgineus tam bene iunxit amor.  
Dixit; & hostiles properans incurrit in enses;  
Quam citus & cursus, tam cito palma fuit.

\* In carnifices Hunnos de Virginibus. \*

**L**ilia quid duro metitis cudentia ferro?  
Tam teneros flores non legit ista manus.  
Quò magis in flores sumptis crudescitis armis:  
Inuidiosa manus plus feritatis habet.

Perdere debueras vires, fera dextera; cæsis

Sed male dñm misces vulnera, sola peris,

Si vis sanari (manet alto in pectore vulnus)

Pre diga quam fundis tam male, sume necem.

### IN CAMPUM.

**S**anguine virgineo. multoq; cadavere campus  
Dum latet, è supero sic ait orbe polus.  
Hos mihi da flores: da gemmea lilia; latus,  
Nec mora, pro pulchris floribus astra dabo.

### DE D. MARGARITA. & Dracone.

**T**er centum caputum, totidem ceruscibus, horret  
Bellua: monstrosi pectoris ore fremit.

Guttura tercentum confundunt murmura; voluit  
Ardua fumiferos ignis in astra globos.

Circunstant angues sinuosa volumina: multo  
Mille faces iactant lumine, mille rogos.

Tercentum mortes intentat anhelitus: olli  
Igneus è patulis naribus ardor abit.

Imminet exitio mortalibus, imminet orbi;

Faucibus, heu! vastis te propè, Virgo, vorat?

Netimeas, Virgo; tibi crux insigniat ora,

Concidet ad nutus bellua vastatios.

*Liberat uno dices; Vanâ sub imagine, verus  
Non metus est : vani sunt simulachra metus.*

**AD EANDEM,**  
**Cùm vncinis laceraretur.**

**V**NCINUS abrumpit tibi membra, augusta Virago;  
Inq<sup>o</sup>, omni nullum corpore corpus adest.  
Utque tibi Sponsus per vulnera viscera monstrat,  
Per tua sic Sponso vulnera, corda patent.  
Cum deformaris tormenta per aspera: forma  
Non timeas Virgo : non tibi forma perit.  
Quo magis est visus Sponsus deformis, acerbâ  
Sub cruce: plus plagi, plus nece pulcher erat.

**DE D. CÆCILIA.**

**C**Æcilia, eternos tibi sert<sup>a</sup> ad gemmea flores  
Lègit ab Elysij<sup>s</sup> dextera sacra plagi,  
Ut videre tuos formosa rosaria flores,  
Exempló flores evnbuere suos.  
Florum leta suos Spes intermixet honores:  
Florea decerpit munera castus amor.  
Temperies, rosenq<sup>o</sup>, Pudor coiere : lignistra  
Ut daret hic, violas ut daret illa suas.  
Ordine sic flores Prudentia digerit : arctas  
Vincula robustâ Martia Virgo manus.

Iusti-

*Iustitia aquat opus: ninoes parat Agnus honores:*

*Pingit opus varium Gratia: calat Amor.*

*Carnificum suprema fuit manus addita; mirum est:*

*Tam mala, tam rara dextra peregit opus.*

### *AD DIVAM DOROTHEAM.*

*De floribus, & pomis è cœlo missis.*

**D**A mihi purpureos, Virgo angustissima, flores:

*Da mihi de calathis, aurea poma tuis:*

*Seu tua poma tuo de sanguine tintâ rubescunt:*

*Cade tuâ pulchra seu rubuère rosa.*

*Seu nece de Sponsi roseos traxère rubores,*

*Pradantur sensus, pomaq<sub>z</sub>, flosq<sub>z</sub> meos.*

*Utraque dum redolent, patiuntur corda rapinas:*

*Ne male raptentur, sic placet usque rapi.*

### *IN RUFINAM, ET SECUNDAM* forores.

**T**ybris Amazonidum fortissima pectora nutrit;

*Id Rufina ingens, idq<sub>z</sub> Secunda probat.*

*Pectore fæmineo vis est inuenta virilis,*

*Tortorem torquet que violenta suum.*

*Quó magis accrescunt tormenta immânia, virtus*

*Crescit, & à pœnis vim capit aucta suis.*

*Quid pœna faciant, agnosce in fronte Sororum;*

*Irridet pœnas veraque Virgo suas.*

*Quid*

*Quid facis, ò Iudeo, quid agis saeuissime? Vinci  
Non pudet à tenerà Virgine posse virum?*

¶ De iisdem Virginibus, ad tumulum.

**Q**uid tegitur tumulo? Flores, & lilia; flores  
Martyrium fudit; lilia cana Pudor.  
An nè perennabunt ullo sine sole, vel imbre  
Sub tumulo? Maior nascitur inde decor,  
Pallentes inter cineres, & funera, vitæ  
Perpetuum, mœstæ de nece, semen habent.

¶ IN D. MARTHAM. ¶  
De Dracone interfecto.

**S**pargens rore leui, Virgo aurea deicit anguem,  
Cuius terribili spiritus igne furit.  
Asperet Etolos celeberrima bellua saltus:  
Aut Erymantheum bellua torua nemus.  
Tergeminus surgat vel corpore pastor Iberus,  
Sibilet horrendum vel tibi Lerna caput.  
Cerberus Infernis reuocatus Ditis ab umbris,  
Bis geminos trifido terreat ore polos.  
Ficta Chimæra os noua bellua fulminet ignes:  
Non opus alato est Bollerophontis equo.  
Saxea Gorgonei redeant miracula monstri:  
Falcato, Persau, non opus ense tuo est.

*Viribus Heroum nec opus, nec vindice ferro:  
Martha velit, satis est ut fera monstra cadat.*

¶ Ad eandem, de eodem.

**Q**uantus Agenore à cecidit Draco Martium  
baſta,  
Clara atauis, tantus te duce, Virgo cadit.  
Nec cadit Herculeæ quatefactus robore dextra,  
Sed iacet aſpersu, dulce cadentis, aquæ.  
**N**obilis Herculeos ne tollat fama labores:  
Fœmineà, factum est plus, feriente manu.

### AD DRACONEM.

**Q**uid tibi cœruleis proſunt lita corpora guttæ?  
Quid, Draco, sanguineis horrida colla iubis?  
Squamea quid ceruix, inflataq; colla veneno?  
Quid tibi funere à lumina torua face? (tes?)  
Quid triplices linguae? triplici q; quid ordine den.  
Æmula loricis quid fera terga iuuant?  
Fœmineà mortiere manu: quò ſeuior vrges,  
Hoc titulus pugnæ nobilioris erit.  
Terrueras populos; terrebere Virginis imbre:  
Rore cades, ferient corpora mille manus.  
Mutauère vices infirma, & fortia: de te  
Virginea palmas cum retulere manus.

¶ De

## ¶ De eodem Dracone:

**Q**ui videt immodecum porrectum mole draconem,  
Quae pia lustrali Martha peremit aquam:  
Taliter attonitos affabitur ore sodales,  
Prodigium admirans non minus ipse nouum;  
Mole grauis tantum cecidit draco, rore profuso?  
Quid facient modicae, si velit illa, ferae?

DRACO AD D. MARTHAM.  
pro tumuli titulo.

**H**as dicat exuuias serpens tibi, Virgo; potestis  
Nobile quae dextra testifcentur opus.  
Me potuisse minus gratum est; me rore tepente  
Posse soporari, grandius esse reor.  
Morte fruor laetus: tristis mibi vita fuisset,  
Pressisset nostras nitua dextra iubas.  
Perdita vita dedit vitam: seruata dedisset  
Interitum: decus est sic potuisse mori.  
In tumuli titulos satis est scripsisse; Draconem  
Pro pede, virginem succubuisse manu.

DE D. ENCRATIDE,  
& socijs Lusitanis.

**P**erlege purpureos 'ò Lusitania fastos,  
Inuenies claros, Martia corda, duces.

*His ducibus tua sceptrum tremunt, tua fulmina  
Mauri;*

*Ipse Oriens fasces horret, amatq; tuos.*

**C**ornipedum qui frena regunt radiantiagemis,  
*Quos circum roseo murice vestit honor,*

*Sanguineas rapuere sacrà cum Virgine palmas:*

*Quisque suam, sed habet Virgo perempta duar.*

*Quando repugnantem bello tremefeceris orbem,  
Sunt tibi magnanimi, quos imitèrè, duces.*

*Virginis, & comitum generosa exempla sequeris,  
Cum tibi vincendas magnus Olympus erit:*

*Inter utrosque potes violenta laceßere bella:*

*Sic tibi propredà terra, & Olympus erit.*

### DE D. AGNETE.

**I**n Deemonas sub coruorum specie Virginem appetentes.

**E**ffera conspicio coruorum examina, contra  
Virginis innocuum, bella mouere, caput.  
Sed non sunt corui: sœua sub imagine Manes  
Coruorum Stygijs turpia monstrat eugent.  
Vicerit ut quando Virgo augustissima Manes,  
Vincere non Manes, sed videatur aues.

## ¶ De ijsdem Coruis Stygijs.

**L**VCIFER, affectas cœli qui culmina: ponis  
 Æthereos supra qui capita alta globos.  
 Quid facit effigies corui? quid rostra? quid vngues?  
 Quid color? & pennæ tam nigra forma tuæ?  
 Quid faciunt pugnæ? quid Martia bella? superbos  
 In bellum Manes vna puella trahit.  
 Ut maneant turpis monumenta insignia belli,  
 Addantur similes ad tua busta notæ.  
 Qui petijt Superos iacet hic leuis aliger; Illum.  
 Fœmina cum potuit vincere, Coruus erat.

## ¶ De pudore, &amp; formâ virginis Agnetis.

**R**ARA pudicitiae spirant miracula: formam  
 Sparsit in hæc, Virgo, totus Olympus opes.  
 Ingenuum finxit peccus tibi gratia: finxit  
 Pectoris insuetas ingeniosa niues.  
 Lumina deripiunt rutilantia sidera: visu  
 Apparent superis astra minora tuo.  
 Pertrahit attonitum diuina modestia cœlum:  
 Alliciunt roseæ Numinis ora genæ.  
 Tot tibi sunt dotes, quot habet sata flore agemæ:  
 Tot Pudor ut vidit lumina, latus ait;  
 Ora Pudicitiam spirant, ceruix quæ, genæ quæ;  
 Qui cupis hanc faciem pingere, pinge meam.

## § DE D. EUPHEMIA. §

**P**Hœbe retro properâ, versiq; recurrite currus,  
Purpureo facitis qui Phœtonte diem.  
Ne videoas Prisco quod sit pro Consule monstrum;  
Mensa Thyestæ vincitur ecce dapis.  
Sacra rotas inter Pietas distingitur : orbis  
Versatur quoties, fit noua causa necis.  
Lata inter pœnas animosa Euphemia vinit:  
De pœnis auget gaudia lata suis.  
Fugissent pœnas, & monstra infanda Tyrannus,  
Sauag; carnificum brachia solis equi;  
Inter tot pœnas, nisi rara modestia Dina  
Attontos vulnus detinuissest equos.

## § DE EADEM. §

**C**Oncidit exanimis formosa Euphemia : qualis  
Flos cadit agresti quem legit ungue manus.  
Si faciem spœtes, morientem optabis Amorem;  
Phœbeas, oculos si tueâre, faces.  
Corporas si dulcem loculis spirantia vitam,  
De loculis disces non posuisse mori.

FINIS.

---

**CONIMBRICÆ,**

*Cum facultate Inquisitorum, &  
Ordinarij.*


**Apud Didacum Gomez de Loureyro  
Academie Typographum.**


**Anno Dñi. 1622.**





CONIBRIGE  
C  
A  
A  
A


125











P P

1877

PIMENTA  
POEMAT

Canal